

V. TITULUS

S. MARIA CASTELLI

Ieremias propheta loquens de civitate Ierusalem, haec inquit (c. 6. v. 2): *Speciosae et delicatae assimilavi filiam Sion. Ad eam venient pastores et greges eorum; facerunt in ea tentoria in circuitu.* Vatablus et Pagninus pro *speciosae*, vertunt, *mulieri, quae habitat in tentorio suo cum summa tranquillitate.* Haec verba, quamvis litteraliter intelligantur de vera urbe Ierusalem, tamen nemo vetat illa accommodare sanctissimae Deiparenti, quam Ecclesia non semel *filiam Sion* vocat, cum ad eam conversa, sic alloquitur (in liturgy): *Virgo filia Sion, quo progredieris? — Virgo filia Sion, tota formosa et suavis es, etc.* Imo potiori iure Deiparae, quam civitati Ierusalem, aptari possunt memorata verba: ipsa enim est mulier illa, quae *habitavit in tentorio suo cum summa tranquillitate*: nam nihil in se habuit, quod inordinatum esset, quodque hanc tranquillitatem posset perturbare. *Pastores et greges, c.*, ad eam veniant: ligamus in ea tentoria in circuitu.

Verum si Ieremias civitatem Ierusalem materialem et inanimatam assimilavit mulieri *speciosae et delicatae* animatae; aliquando contra animata *filia Sion* creaturis etiam inanimatis assimilatur. Divus Gregorius (hom. 29. in *Evangelio*) docet, quod *omnis creaturae nomine signatur homo*: quid ergo mirum si sanctissima Dei Genitrix Maria et quibusdam creaturis etiam inanimatis assimilatur, et ab eisdem nomen mutuatur. Assimilatur profecto soli, lunae, stellis, mari, coelo, iridi: accommodantur ei epitheta methaphorica virgae Iesse, fontis signati, floris, terrae silientis, portae clausae, lilii, rosae Iericaninae, velleris, nabecalae, aurorae, platani, libani, storacis etc. Cuiusmodi igitur creaturae, quae in se aliquam praerogativam continent, assimilari potest Deipara Virgo.

Virgo filia Sion, in praesenti tractatimcula cui comparabo te, vel cui assimilabo te (Thren. c. 2. v. 13)? — Quoniam fidelium pietas Castello te, excelsam Deiparentem, comparavit, nos de hoc titulo aliqua delibare proponimus.

Verum haec vox *Castelli* diversas habet significationes: sumitur enim 1.º pro arce, seu turri; 2.º pro oppido seu suburbio, in quo diversae domus sunt, veluti unitae, et muro circumdatae; 3.º pro connexione diversarum partium alicuius machinae, seu molis; 4.º denique pro caecumine pontis magnae navis. — Haec sunt praecipuae significationes huius vocabuli. Nos

de omnibus breviter pertractare pergimus; Deoque auxiliante, huiusmodi significationes Deiparae Virgini accommodabimus. In antecessum autem, de more, historicam narrationem cultus B. M. V. sub hoc *Castelli* titulo exponemus.

Historica descriptio cultus s. Mariae de Castello in dioecesi nolana, et in dioecesi cassanensi.

Ad Vesevi montis declivium, in dioecesi nolana, oppidum adest, quod italicè dicitur *Somma*, et in eo quoddam Castellum. Venerabilis Pater Dominus Carolus Carafa, Congregationis Piorum Operariorum fundator, ut a terrenis negotiis avulsus, maiore animi contentione coelestibus vacaret, circa annum 1622 in eodem Castello suum fixit domicilium; ibique sacellum sive aedificavit, sive, ut alii ferunt, restauravit, ornavitque sacra suppellectile; in eoque ligneam simulacram beatissimae Virginis publicae Christianifidelium venerationi exposuit. Temporis processu, alia de memorato P. Carolo Carafa divina providentia disponente, Sacellum antedictum, quod ab icone B. M. V. et a loco, *Sanctae Mariae de Castello* nuncupabatur, custodiae cuiusdam eremitae conceditum fuit.

Ex libro, cui titulus, *Zodiaco Mariano del P. Serafino Montorio*, eruitur, quod cum anno 1631 ignivomus Vesevus flammarum globos erumperet, integrum oppidum, ipsique templum *sanctae Mariae de Castello*, eversum, et in cinerem redactum fuit. Post aliquot dierum lapsum, solum caput lignei simulacri inter rudera repertum fuit, et non sine prodigiorum comitatu, reliqua sacrae iconis pars constructa fuit, quae prius in ecclesia divi Laurentii, et deinde, Deipara ipsa praecipiente, in ecclesia *Castelli* rursus aedificata sumptibus Antonii Ursini comitis, circa annum 1650, collocata fuit.

Festum *sanctae Mariae de Castello* celebratur quotannis in dominica in albis, sive octava Paschalis resurrectionis; et fideles non solum ex propinquis, sed etiam ex dissitis civitatibus et oppidis illic convolant, et innumera prodigia, Deiparae intercessionem, consequuntur.

In dioecesi cassanensi adest castrum, quod a Livio denominatur *Siphneum*, a Plinio *Aprasium*, et nunc dicitur *Castrovecellari*. Civitatis

nomen huic pervetusto castro non immerito datum est. Una ex tribus parochialibus ecclesiis memoratae civitatis, *sancta Maria de Castello* nuncupatur; in eaque in duobus lapideis topiis Deiparae imago depicta cernitur; quae imago reperta fuit in quadam fovea, dum fundamenta pro cuiusdam aedificii constructione effoderentur.

Quidam ferunt, memoratam iconem a divo Luca depictam, et in iconoclastarum persecutione in illa fovea reconditam fuisse. Ex illa sacrosancta effigie virtus admiranda prodigiorum prodit, ita ut quidquid e coelo desideretur, beatissimae Virginis de Castello patrocinio proculdubio oblineatur (vide opus P. Montorio, cui titulus, *Zodiaco Mariano*).

I.

Deipara recte nuncupatur sancta Maria Castelli, si Castellum sumatur pro arce seu turri.

1. *Castellum* sumi potest pro arce seu turri. Est autem aedificium altum, eminens, et bene munitum, ad quod, ingruente hoste, cives confugere solent. Sic Romani in hostium incursum ad castellum, sive turrem Capitolinam confugere in more habebant: sic Babylonenses ad castellum suum turrem Babel se in obsidione civitatis recipere solebant: et in libro II Paralipomenon legitur de Ioatham (c. 27. v. 4), quod ipse *urbes aedificavit in montibus Iuda, et in salibus castella et turres.* — Verum in hostium tum spiritualium, tum temporalium continuis et terribilibus incursionibus, in quoniam castello se recipient Christiani? Profecto in mystico castello protectionis beatissimae Virginis. Ibi tuti esse possunt, melius quam Romani in Capitolii arce; melius quam Babylonii in Babelitico castello. Ex illo castello possunt suos hostes insultare, illud Davidis (Ps. 26. v. 3) usurpantes: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me praellium, in hoc (castello) ego sperabo.*

2. *Castellum* est aedificium altum, et eminens: et quanto altius est, tanto facilius inde hostes, qui deorsum sunt, expugnari poterunt. — Sed quis Deipara altior? Ipsi iure aptantur verba Cantiorum (cap. 7. vers. 7): *Statura tua assimilata est palmae*: quippe quia sicut palma proceritate et celsitudine reliquas arbores superat; sic benedicta Virgo longe omnem creaturam, sive angelicam, sive humanam excedit. 1.º Alta est ob gratiam. — De rege Assyriorum dicit Deus (Ezech. cap. 32. v. 3): *Ecco Assur quasi cedrus Libani... excelsus altitudine... ceteri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei: obites non adaequaverunt summitatem eius: haec autem altitudo regis Assyrii non debet intelligi de statura personae, sed de celsitudine donorum.* Sed animadvertendum est 1.º quod rex Assur fuit altus relate ad alios homines reges 2.º quod ipse decit ab altitudine sua. Sed beatissima Virgo dicit potest *Castellum* mysticum 1.º elevatum, non super aliquos, sed super omnes creaturas, sive an-

gelicas, sive humanas, 2.º ipsa nunquam decidit ab altitudine sua; immo in quovis momento suae vitae in hoc mundo excelsior fiebat. — Dixi, quod super omnes creaturas gratia elevata fuit Deipara: nam, inquit divus Thomas (in 3. part. summ. quaest. 27. art. 1): *Rationabiliter creditur, quod ea, quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora dona gratiarum, et privilegia accepit.* Divus Bernardus (in quod. ser.) in eundem scopum collimat, dicens: *Legimus Stephanum plenum gratia, et Apostolos plenos Spiritu sancto; sed longe dissimuliter a Maria.* Tandem divus Hieronymus (in serm. ad Eust.) inquit: *Bene plena gratia, quia ceteris per partes gratia praestatur; Mariae autem tota se infudit gratiae plenitudo.* Immo sancti Patres et doctores affirmare non verentur, quod altitudo gratiae Mariae quodammodo coaequari potest altitudini gratiae ipsius Christi. Ude Isaias dicit (c. 30. v. 26): *Erit lux lunae sicut lux solis: et divus Hieronymus (ubi sup.)* subiungit: *In Maria totius gratiae, quae est in Christo, plenitudo venit; cum hoc solo discrimine, quod Christus eam habuit per naturam, et Mater eius benedicta eam recepit per participationem.* — 2. Hoc mysticum Castellum, nempe Deipara, altum fuit ob dignitatem. Sed quid de hac dignitate dicit poterit? Bene divus Augustinus (in quod. ser.) inquit: *Si, o Virgo, coelum te vocem, altior es: si formam Dei te appellem, digna existis: si dominam angelorum, plusquam talis esse probaris.* Re quidem vera, sicut Filius Dei Iesus, ut ait Apostolus (ad Hebr. c. 1. v. 4): *Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit; sic Mater eius benedicta tanto melior angelis effecta est per divinam maternitatem, quanto differentius prae ipsis nomen haereditavit, scilicet nomen Matris Dei.* Cui enim, sive sublimium principum inter homines, sive inter angelicas hierarchias, dixit aliquando Deus: *Tu es mea vera mater: tu es mea dilectissima Sponsa? — non Evae hominum progenitrici, non pulcherrimae Racheli, non fortissimae Iudith, non prudenti Abigaili; non angelis, non seraphinis, non cherubinis; sed tantummodo benedictae Virgini Mariae haec dignitas collata est.* Et, quod attinet ad solam maternitatem, quis unquam habuit maternitatem, firma remanente virginitate; et virginitatem cum maternitate, et maternitate divina, continctam? Sola Deipara Virgo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, *gavdia matris habens cum virginitatis honore.* — 3. Huiusmodi castellum altum fuit ob meritum. — Mysticae petrae, ex quibus efformatum fuit huiusmodi castellum fuerunt virtutes Deiparae, quae, mediante cemento gratiae, firmissime inter se adhaeserunt. Fundamenta huius mirifici castelli, profundissima ob humilitatem facta fuerunt in montibus sanctis. *Multae filiae congregaverunt ditias*, id est virtutes; sed Deiparae solae dictum fuit (Prov. cap. ult.): *Tu vero supergressa es universas.* Nec fides Abraham, nec iustitia Moysis, nec mansuetudo Davidis, comparari possunt cum virtutibus Deiparae. Sed quid dico

de hominibus? Puritas angelorum, amor ipsorum ardentium seraphim, coaequari Deiparae non potest. Brevi si virtutes omnes cumulerentur omnium hominum qui vixerunt, vel vivere debent a principio usque ad finem mundi: si etiam angelicarum creaturarum dona, puritas, charitas, cumulerentur; cumulus hic altissimus non potest coaequari, ne imae parti quidem. huius mystici altissimi Castellii Marianarum virtutum. Merito igitur divus Gregorius (in lib. 1. Reg.) illa verba explanans: *Erit praepratus mons Domini in vertice montium*, sic eleganter loquitur: *Mons iste sublimis est Maria, quae meritum verticem super omnes angelorum choros usque ad solum Deitatis erexit: et divus Ioannes Damascenus (or. 1. de Natte. Virg.) subiungit: Virgo est mons ille, qui collem omnem ac montem, id est angelorum omnium et hominum sublimitatem cuperat: mons virtutum, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* — 4. Denique castellum hoc mysticum altissimum est ob gloriam. Re quidem vera Deipara usurpare potest illud Ecclesiastici (cap. 24. v. 7): *Ego in altissimis habito*: et sicut ipsa omnes praecedit, sine angelis, sive homines beatos comprehensores, in altitudine gratiae, dignitatis, et virtutum; ita omnes praecellit in gloria, quippe quia thronum habet a dextris Filii sui Iesu Christi: immo ipse Christus in ea thronum suum collocavit, iuxta illud: *Veni electa mea, et ponam in te thronum meum (in liturg. Breviar.)*.

3. Castellum est aedificium forte et bene munitum. Beata autem Virgo mysticum castellum est tam forte, et munitum, ut expugnari nullatenus possit. Re quidem vera ipsa est mulier fortis, quae (Proc. cap. 31. v. 19) *manum suam misit ad fortia*: ipsa est Castellum, seu turris David, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clipei pendunt ex ea, omnis armatura fortium (Cant. cap. 4. v. 3): ipsa est illa, de qua videtur Isaia dixisse (cap. 26. v. 1): *Urbs fortitudinis nostrae Sion: Salvator ponetur in ea, murus et antemurale*. Hoc Castellum fortissimum aedificatum fuit supra petram angularem, de qua dicit Apostolus (1. Cor. cap. 10. v. 4): *Petra autem erat Christus*. Deipara autem, mysticum castellum, illud Psalmi (26. v. 6) assumere potest: *In petra exaltasti me*. Hinc beatissima Virgo, relate ad seipsam, fortissima evasit a primo saepe conceptionis instanti, ita ut nunquam inimicus humani generis dicere poterit (Psal. 12. v. 5): *Prævalui adversus eam*. Fortior ipsa fuit Iudith, fortior Iahel; et ipso Sampson longe fortior. — Sed relate etiam ad confugientes ad se, hoc castellum fortissimum et inexpugnabile est. Qui habitat in hoc castello, in protectione illius mulieris commorabitur, quae a primo saepe conceptionis instanti caput serpentis immaculato suo pede contrivit. Cadent a latere eius mille, et decem millia a dextris eius: verumtamen ad eum non approximabunt: non accedet huic castello malum, et flagellum et non appropinquabit quoniam angelis suis Deus mandavit, ut illud custodiant.

Deipara est Castellum, quod sumitur pro oppido, in quo diversae domus sunt velut unitae, et muro circumdatae.

In immensa illa sanctorum Scripturarum gazza non semel de Castellis mentio fit. Hoc autem Castellii nomine, sicut saepe in Evangelio, sic etiam nos in praesentiarum, aliud non intelligimus nisi parvum oppidum diversarum domorum, muris cinctum (vid. a Lap. in locis enunciandis). Nos, missis locis omnibus veteris Testamenti, illud solum praereundum non arbitramur, Dominum Iesum Christum in Castellis praelara multa gessisse. Castella circumcursavit praedicans evangelium (Matt. c. 9. v. 35, et Marc. c. 6. v. 6), etc. — in Castella Caesareae Philippi, Simonem Petrum caput Ecclesiae constituit (Mar. c. 8, vers. 27): *Et egressus Iesus et discipuli eius in castella Caesareae Philippi, et in via interrogavit discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?* — in Castello quodam decem viros leprosus mundavit (Luc. cap. 17. v. 12): *Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrent ei decem viri leprosi.* — Ad Castellum misit discipulos suos ad quaerendum asinum, super quem ingredi voluit Hierosolymam (Math. c. 21. v. 2, et Marc. cap. 11. v. 2): *Ite in castellum, quod contra vos est.* — Ad Castella misit Apostolos suos ad praedicandum Evangelium (Math. cap. 10. v. 11): *In quancunque civitatem aut castellum intraeritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec e-eritis.* — In Castello Emmaus post resurrectionem suam duobus discipulis se manifestavit (Luc. cap. 24. v. 13): *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus.* — Denique, ne nimis longum hoc praerogium evadat, in Castello Bethaniae Christus Lazarum quadriduam resuscitavit, ut legitur apud Ioannem (cap. 11. v. 1): *Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae sororis eius etc.*; et in idem castellum etiam alias ingressus fuit; ibique dum Martha salagebat circa frequens ministerium, ut Domino convivium pararet, soror eius nomine Maria, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, et audire a Christo meruit (Luc. c. 10. v. 42): *Maria optimam partem elegit, quae non auferretur ab ea.*

Si ergo Castella adeo a Christo honorata fuerunt, ut in his praelara multa gerere non fuerit designatus; mirandum profecto non erit, si Deipara Virgo, inter reliquos titulos, etiam illud assumat Castellii. Re quidem vera divus Bernardus (serm. 2. de Assumpt. B. M. V.) uterum virginalem Deiparae castello comparat, cum illa verba Lucae explanat: inquit enim laudatius doctor: *Quid introisse Christum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalem uteri diversorium introivit. Denique et mulier excepit illum in domum suam. Felix mulier, cuius domus, Salvatore suscepto, incerta*

est munda quidem, sed plane non vacua. Quis enim vacuum dixerit, quam salutat angelus gratia plena etc.? — Bene igitur nos Deiparam, Sanctam Mariam Castellii nuncupamus.

Ut rite et ordinate procedamus, bifariam thesim propositam demonstrare aggredimur. Ut in sanctissima Dei Genitricis considerare possumus mysticas domos, tum pro Iesu Christo qui in ea corporaliter et realiter habitavit, tum pro Christifidelibus, qui in eius corde quasi domicilium habere possunt; et sub hoc respectu ipse Deus, eiusque omnipotentia, sumi poterit pro muro huiusmodi mysticas domos circumcingente. Vel animae ipsorum Christifidelium accipiantur pro domibus, in quibus beneplacitum est Deo inhabitare; et beatissima Virgo accipi poterit pro muro has domos circumvallante. — In utraque autem acceptione Deipara semper erit Castellum, quod est oppidum seu suburbium, in quo diversae domus sunt, velut unitae, et muro circumdatae.

1. Quod beatissima Virgo dicatur domus in numero singulari, novum esse non potest, etiam tyrionibus in sacrum Scripturarum lectione. Re namque vera in libro Proverbiorum (cap. 9. v. 1) habentur haec verba: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem*. Per hanc autem domum mystice Deiparam intelligit, Ecclesia ipsa, et fere omnes Patres et interpretes docent. Equidem in sacra liturgia haec verba habentur: *Domus pudici pectoris templum repente fit Dei*. Andreas Cretensis (orat. in Salut. Angelic.) Deiparam vocat *consecratum Regis palatium*: Divus Ambrosius (lib. de instit. Virg.) *autem Regis aeterni*. Sic etiam edem beatissimae Virginis aptantur verba regis Psalms (Psal. 92. vers. 5): *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo*. Si enim domus aedificium est, in quo habitat; beatissima Virgo domus dici potest, in qua Deus habitare voluit. Haec difficultas non sunt intellectus. Verum quomodo Deipara Virgo comparari poterit oppido, in quo diversae domus sunt, veluti unitae et muro circumdatae, ita ut etiam in hoc sensu dici possit iure merito castellum? — Hoc nos pro nostra tenuitate demonstrare aggredimur: et ut facilius nostrum scopum attingamus, illud Davidis (Ps. 47. v. 4) eidem beatae Virgini aptamus: *Deus in domibus eius cognoscetur*; et uti lectio Hebraea habet: *Deus in palatiis eius cognoscetur*. Quoniam igitur sunt huiusmodi domus Dei? — 1. dici potest, quod tres potentiae animae sanctissimae Virginis; quinque sensus eius immaculati corporis; et omnia virginalia eius membra, totidem domus Dei dici possunt: — 2. possumus adfirmare, quod quaelibet trium Personarum sanctissimae et individuae Trinitatis domum habuit in Deipara: — 3. convenientius ad nostrum argumentum, asserimus, quod in corde immaculato sanctissimae Virginis adest domus pro Deo, qui ibi habitare voluit, non solum per suam gratiam, sed in ea carnem humanam assumendo; sed insuper adsunt etiam totidem domus et veluti mansiones, quot sunt homines eius filii. — Quomodo autem in templo a Salomone quaedam tres aderant partitiones. Prima vocabatur Hebraice *Debir*, id est *Oraculum*, seu *Sanctum Sanctorum*, ubi Arca asserva-

batur; ibique solus summus Pontifex accedere poterat. Secunda Hebraice dicebatur *Hecal*, id est *Templum* sive *Sanctum*, ubi Sacerdotes manebant. Tertia Hebraice *Ulai*, id est *Atrium* nuncupabatur, ubi populus Iudaeus consistebat. Adhaec pro immundis et Gentilibus aliud atrium extimam aderat, quod erat remotissimum a sancto. Huiusmodi autem partitiones erant quodammodo domicilia et mansiones, tum pro Deo, tum pro Sacerdotibus, pro Iudaeis, et etiam pro ipsis Gentilibus (vid. a Lap. sup. l. 3. Reg. c. 6). Ad eundem modum in Deipara benedicta, mystice Dei templo, adsunt veluti domicilia et partitiones pro omnibus. *Oraculum* seu *Sancta Sanctorum* intelligi potest alteras sensus virginalis, in quo Pontifex futurorum bonorum (ad Hebr. c. 9. v. 11) ingressus, et per novem menses commoratus fuit. — In corde insuper immaculato beatissimae Virginis adest etiam *Templum*, seu *Sanctum*, domicilium coeui sacerdotum et clero destinatum: adest quoque *Atrium* pro universo populo Christiano, ac praesertim pro iustis; nec deest aliud *Atrium* extimam pro ipsis peccatoribus, pro haereticis, et etiam pro infidelibus. Quis igitur non videt in utero et corde benedictae Virginis Mariae diversas mysticas domos? — Harum autem domorum murus est Deus ipse, vel eius omnipotentia, quemadmodum docet Isaia cum dicit (c. 26. v. 1). *Urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator*, ponetur in ea murus et antemurale; et Ecclesia fatetur in sacra Psalmodia: *Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine*.

2. Anima nunciusque iusti dici potest domus et tabernaculum Dei, quippe Deus in ea inhabitat, et quasi per suam gratiam perambulat. Legimus enim in Levitico (c. 26. v. 11): *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester*. Quin et ipsum corpus nostrum domus et templum Dei est, ubi Deus inhabitat, iuxta illud quod docet Apostolus (1. ad Cor. cap. 6. v. 19): *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti? et ibidem (c. 3. v. 6): Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*.

Harum autem domorum murus circumcingens est Maria. De ipsa loquebatur Sponsus in Canticis Canticorum dicens (c. 8. v. 9): *Si murus est, aedificemus etc.*; et ipsa subiungit (cod. cap. v. 10): *Ego murus, et ubera mea sicut turris*. Unde a Lapide (sup. memorat. loc.) inquit: *Beata Virgo habuit pectus virile, et forte instar muri; et Guillelmus (vidend. ap. a Lap. memorat. loc.) sic ipsam virginem Mariam loquentem inducit: Omnibus ad me confugiens, sed non tantum murus sum ad municiendum, sed et mater ad nutriendum*.

Patet igitur, quod merito Deipara nuncupari potest *sancta Maria Castellii*, si Castellum sumatur pro oppido, in quo diversae domus sunt unitae, et muro circumdatae. — Verum huiusmodi domorum pluralitas, velut in corde suo unitur, et circumdata est muro suae protectionis: Nec noviter ipsa in sacris Scripluris dicitur murus: nam in Canticis Canticorum (cap. 8. v. 9). Sponsus de ipsa dicit, ut nuper innuimus: *Si murus est, aedificemus ei propugnacula argentea*:

et ipsamet Virgo paullo inferius (c.8.v.10) de se dicit: *Ego murus, et ubera mea sicut turris.*

III.

*Deipara est Castellum, quod sumitur pro con-
nexionē diversarum partium alicuius ma-
chinae.*

In mechanicis disciplinis haec vox *Castellum* ad diversas significationes adhibetur: sumitur enim aliquando pro machina destinata ad sursum trahendum aliquid pondus: interdum pro *Castellum* intelligitur machina quaedam mobilis, quae a loco ad locum transfertur: quandoque accipitur pro instrumento quodam horologii, quo binae columnulae coniunguntur. Semper autem est machina diversis partibus constans.

1. In primis asserimus, Deiparam esse mysticum *Castellum* diversis partibus constans. — Iam quilibet homo potest dici mysticum *Castellum*, quippe quia constat anima cum respectu visus, et corpore cum propriis sensibus. At benedicta Dei Genitrix potiori iure *Castellum* dici debet, nam non solum in ipsa collectae, et veluti coagmentatae sunt omnes praerogativae quarumcumque creaturarum, sed Deus ei communicavit etiam proprias. Incipimus a creaturis inanimatis. Sol ei contulit splendorem; Luna pulchritudinem; stellae ornatum et diademam; cedrus incorruptionem; storax cinnamomum, et balsamum odorem; palma proceritatem; argentum et ebur nitorem; aurum pretiositatem etc. — Gradum facimus ad creaturas animatas, sed irrationabiles: a columba velatum in contemplatione; ab ape dulcedinem, et virtutem eligendi quod melius est etc. — Creaturae rationales humanae illi contulerunt suas individuales dotes: Rachel pulchritudinem; Iudith animi robur; Iabel fortitudinem; Rebecca prudentiam; Esther gratiam etc. — Quid dicam de angelicis creaturis? Seraphim ei contulerant suum ardorem in charitate; Cherubim scientiam; throni firmitatem, dominationis potestatem etc. brevi. Si: *Omnis creaturae nomine signatur homo; omnis autem creaturae aliquid habet homo, uti docet divus Gregorius (ho. 29. in Ecan.);* Deipara Virgo non tantum aliquid, sed singulas praerogativas memoratarum creaturarum in gradu heroico possedit. — Sed quid dixi? Non solum *omnis creaturae* speciales dotes habuit sanctissima Dei Genitrix, sed etiam ipsius *Creatoris* illi participatae fuerunt proprietates. Aeternus Pater ei suam communicavit foecunditatem, et potentiam generandi Filium, salva semper manente virginitate; Filius illi suam delulit sapientiam; Spiritus sanctus suum ei imperitium fuit amorem. O igitur mirabile *Castellum*, non solum constans singulis praerogativis diversarum creaturarum, sed etiam ipsius Dei!

2. Quoniam autem *Castellum*, uti superius innuimus, destinatur ad pondera sursum tra-

henda, operae pretium est etiam sub hoc respectu tantisper immorari, et hanc significationem sanctissimae Deiparulae accommodare. — Iam Apostolus iniquitatem pondus appellat (c. 12. v. 1): *Deponentes, inquit, omne pondus, et circumstantes nos peccatum.* Nos igitur ob commissas iniquitates ponderosi quodammodo facti sumus, adeo ut ad coelum ascendere nequeamus. Verum Deus constituit in alto, veluti quoddam *Castellum*, quod per funes misericordiarum ab inferis trahit hoc pondus ad superna. Hoc *Castellum* primario adest in Christo Iesu crucifixo, de quo praedixerat Osee (c. 11. v. 4): *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, et ero eis quasi exaltatus inquam; et ipse Christus vaticinatus fuit apud Ioannem (c. 12. v. 32):* *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* — Post Christum Dominum, nemo melius Deipara Virgine est mysticum *Castellum*, trahens peccatores a terra ad coelum per suum validissimum patrocinium: peccator siquidem impotens est ad ascendendum ad Deum. Stetit ac antem ad Deiparam illa verba Cantorum dirigit (cap. 1. v. 5): *Trahite me post te, per huiusmodi mirabile Castellum a profundo coeno peccatorum ad poenitentiam, et a poenitentia ad coeleste regnum trahitur.*

3. *Castellum* dicitur quandoque machina mobilis, seu quae a loco ad locum transfertur ad aliquid opus conficiendum. At praerarisissima Dei hominumque Parens, quoad visum, profecto mysticum *Castellum* fuit, translatum nunc a Nazareth in domum Blisabeth, ubi attulit gratiam; nunc in Bethleem, ubi in lucem edidit Christum; nunc in templum Hierosolymitanum, ubi Filium suum Deo Patri obtulit; nunc in Aegyptum, ubi divinum infantem a saevitia liberavit Herodis; nunc in Cana Galilaeae, ubi miraculum conversionis aquae in vinum pro sponsis impetravit; nunc ad Calvariae montem, ubi simul cum Filio suo in mundi redemptione cooperavit; nunc tandem in Hierosolymitano coenaculo, ubi suis precibus Spiritum sanctum, suum Sponsum, super Apostolos, Ecclesiamque imploravit. Brevi: sicut arca foederis antiqui nunc in domum Obedem, nunc in agrum Iosue Bethsamitae, nunc in castra, huc illucque transferrebat, instar portatilis *Castelli*; ad eundem modum benedicta Virgo, dum adhuc in terris ageret.

Sed nunc, cum sanctissima Dei Genitrix regnat in coelis, nonne etiam quodammodo mobile *Castellum* apparere? Ubicumque vocatur, accurrit. Accurrit in mari, cum tempestatibus insurgentibus, *Stella maris* salutatur (in hymn.), et incolumes suos clientes ad portum deducit: accurrit in praedio, *terribilis ut castrorum acies ordinata* (Cant. cap. 6. v. 3), cum eius patrocinium imploratur: accurrit in duobus rebus, quando ad eius magisterium recurritur; et tunc *constitium eius sicut fons vitae permanet* (Eccl. cap. 2. v. 16); accurrit in egestate, si fidenter ad materiam eius sinum confugitur; tuncque fit *quasi navis institoris de longe portans panem suum* (Prov. cap. 31. v. 14); accurrit invocata ab aegris, vel in ipso extremo agone, dum *Salus infirmorum* salutatur (in

litan. *Lauretan.*). O igitur *Castellum* vere mobile praerarisissimum!

4. Denique *Castellum* dicitur illud alicuius machinae instrumentum quod diversas partes coniungit. — Videmus igitur, num sub hoc respectu etiam conveniat, Deiparam mysticum *Castellum* nuncupari.

Licet Deus et homo natura infinite distent, tamen in ipsa creatione Deum homini gratia coniunxit. Homo vero per peccatum a Deo seiunctus fuit, adeo, ut Deus illi potuerit dicere (Is. cap. 59. v. 2): *Iniquitates vestrae disicerunt inter vos, et Deum vestrum.* Verum in hoc rerum statu exurgit beatissima Virgo veluti mysticum *Castellum*, et Deum iterum homini coniungit per sanctam reconciliationem, quam impetrat. Convenienter igitur divus Clavevalensis Abbas (in ser. de Assumpt.) inquit: *Pretiosum munus terra nostra direxit in coelum, ut dando, et accipiendo, amicitiarum felici foedere copulenter humana divinis, terrena coelestibus.*

IV.

*Castellum sumitur etiam pro cacumine pontis
magnae navis; et in tali significatione haec
vox Deiparae accommodari potest.*

Mysticam navem esse beatissimam Virginem nemo dubitabit, cuius navis naucleus est Spiritus sanctus; cuius arbor magistra, Crux Filii sui; cuius velum insufflatum fuit a vento gratiae; anchora, spes; remi, sancti affectus. De ipsa intelligi possunt verba Proverbiorum (c. 31. v. 14): *Mulierem fortem quis inveniet?... Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum.* Navis, inquam, fuit beatissima Virgo, non trimis: nam sicut illa vento agitur; haec vero non nisi adhibitis remis, et labore remigantium; non dissimiliter illud interfuit discriminis inter beatam Virginem et reliquos sanctos, quod hi fuerunt veluti trimeres, quia summo labore, ex relictis carnis, et fomite peccati orto, ad coelestis patriae portum perrexerunt; sanctissima autem Dei Genitrix, instilar navis, placido Spiritus sancti vento, ac sua

vissima aura acta fuit, uti inquit doctissimus Carthagenus (de Assumpt. B. V. lib. 14. hom. 6). Quid plura? Sicut olim tempore diluvii, solum in navi Noetica, idest in arca, salus haberi potuit, ita inundante diluvio divinae indignationis, nemo salvatur, nisi in hac mystica Mariana navi.

Notandi dignum est, quod Iesus quondam ascendit in navem, et ex ea turbas docuit (Mar. c. 6). Nonne autem in mari huius mundi Christus suo exemplo, ac praesertim humilitate, praedicavit ex navi, idest ex Mariae utero virginali? Haec navis nunquam naufragium passa fuit: imo nequidem tempestates habuit concupiscentiarum. De hac navi, quicumque sit sensus sacri textus, nos dicere possumus quod fortasse Salomon loquebatur, cum asseruit difficultatem intelligendi etiam *navis in medio mari*. Numquidnam tam rarae sunt naves in mari, ut sapientissimus rex id intelligere nequiverit? Minime quidem. Sed hoc illi, uti sentio, difficile vixisse esse dici potest, quod Mariana navis sine ulla tempestate, incolumis ad portum appulserit.

Quamvis autem dicere possumus, quod pons huius magnae navis fuerit ipsa Deipara, tamen convenientius existimamus per navem tropologicae sanctam Ecclesiam intelligere. Re quidem vera divus Chrysostomus docet, quod *navis in fluctibus est Ecclesia, quae tactari potest, mergi non potest.* Si autem in mari huius mundi, dum sumus in hac navi, incurramus scopulos tribulationum; si insurgunt venti tentationum, quid agere debemus? — Divus Bernardus docet in huiusmodi periculis respiciendam esse stellam, vocandam Marianam.

Tandem huius magnae navis, idest sanctae Ecclesiae, quodnam est mysticum *Castellum*, seu pons? Si pons in subiecta materia est illa navis pars, ad quam, vel per quam transitur ad aliquem locum, audiat divus Proclus Episcopus (ser. de Deip.): *Pons, per quem Deus ad homines descendit, et homo ascendere potest ad Deum est sancta Maria Dei Genitrix.* Theodoros autem Studita (in canon. Ode 7. Bibl. Lugd. tom. 14. pag. 899. col. 2. lit. 5) de illa dicit: *Pons securus Christianorum.*

Iure igitur sub descriptis significationibus titulus sanctae *Mariae Castellum* Deiparae competit; cui, post Deum, sit honor et gloria in saecula. Amen.

Divus Iohannes Evangelista in sua Apocalypsi (c. 1. v. 13) se vidisse testatur, in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis, vestitum podere, et praecinctum ad mammillas zona aurea. Doctissimus a Lapide (sup. hunc loc.) per illum, qui dicitur similis filio hominis, Christum intelligit, qui in similitudinem hominum factus est, dum habitu inventus est ut homo; phrasis enim Hebraica similitudo veritatem significat. Ipse autem vestitus erat podere, id est tunica talari hyacinthina summo Pontifici propria. Zona aurea vero, qua ad mammillas usque praecinctus erat, designabat regiam Christi dignitatem (c. Calmet sup. hunc loc.).

Si Christus, qua futurorum bonorum Pontifex, vestitus erat podere, et qua etiam rex regum, zona aurea praecinctus apparuit; quis velat etiam illius dulcissimam matrem nostrae menti representare podere ornatum, id est quodammodo sacerdotali dignitate insignitum? Equidem ipsa a Damaso (in men. graec. die 1. Jan.) summa Antistita nuncupatur; a divo Anselmo (de quat. virt. B. M. V.) Apostola Apostolorum; et si sacerdotes ordinantur ut offerant dona et sacrificia, de illa, filium suum Iesum Christum in templo praesentante, d. Bernardus inquit (se. 3. de purif.): *Hodie placabilis et Deo placens hostia Virginis manibus offertur.* — Verum non solum pontificalis et sacerdotalis vestis Deiparae iure merito competit, sed etiam zona aurea, regum insignis: inquit enim divus Athanasius, vel quicumque alius sub eius nomine scripserit (serm. de Deip.): *Si Christus est rex, qui natus est de Virgine, Virgo ipsa et mater, quae cum genuit, regina et domina proprie et vere censetur.*

Quamvis autem beatissima Virgo, utpote regina, et ob alias etiam praerogativas, zona seu cinctura aurea iure merito ornari potuisset, tamen summo Deo placit, illum humilitate potius, quam regis insignis distingui. Nos aliquibus inuixi non levis ponderis auctoritatibus, plures zonas, seu cincturas Deiparam adhibuisse existimamus. Ante Filii sui obitum, cingulo ex hyssu candidissimo, et non sine aliquo modesto ornatum, lumbos suos illum praecinxisse censemus. Id colligimus ex Eutyimio monacho (ap. Metaphrasi), qui sic testatus est: *Laudatur Zona Virginis, quae annos plerumque nonagentos illa usque integra perseverat, cui nequaquam insuscatus est color, quae vincit splendore nivem, talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodivit artificis. Ea se coeli Regina revera, ut*

credimus, cincta. — Haec zona circa annum 1109, quando idem Euthymius vivebat, adhuc colebatur in templo Constantinopoli a Palcheria Augusta, Arcadii filia magnificientissime extracto, uti testatur Nicephorus (l. 14. c. 4). Hanc cincturam sancti Patres miris laudibus extulerant, praesertim s. Germanus patriarcha Constantinopolitaneus, qui in eius honorem insignem orationem habuit, quam habes ex Metaphrasae apud Surium (tom. 4. die 31. Aug.).

Constantinopoli per Tarcas occupata, seu etiam antequam in extremam istam directionem veniret, Romani hanc Zonam sibi vindicarunt; quemadmodum testatur Onuphrius (l. de sept. eocl.). Praeter hanc Zonam, etiam Aquisgranenses, Burgenses, Atrebatenses, et Tugrenses Eburonum alias cincturas Deiparae se asservasse contenderunt; quae contentio facili negotio extinguitur, si ita res explicetur, scilicet, vel plures zonas Virgini fuisse, quod probabilis est; vel aliam fuisse ei zonam, qua lumbos perstrinxit, aliam, qua ipsa nisi Hebraea sponsa utebatur, quae fascia pectoralis dicebatur; unde in Hieremia (c. 2. v. 32) legitur: *Nunquid oblitiscetur virgo ornamentis suis, aut sponsa fasciae pectoralis suae? vel denique si dicatur, unam zonam in diversa frusta dissectam, in diversis locis asservatam fuisse.* — Etiam Panormi alia sacra Cinctura beatissimae Virginis venerari testatur quidam auctor societatis Iesu (Diotallevi. Trattamenti spirituali part. 1. tratten. XV.); verum haec non fuit vestis Deiparae, dum in terris commorata est, sed illam de coelo delitit eundem feminam infirmam, circa annum 1325 (vide memorat. Diotallevi).

Nos in praesenti tractatione de praedicis zonis solemmibus seu festivis sermonem non instituumus, sed tantum de illa, qua sanctissima Dei Genitrix usa fuit, postquam Filio suo benedicto orbatam remansit: tunc enim ipsam, non aliam cincturam, zonamque quam pelliceam vel coriaceam adhibuisse traditur, ad lumbicam circa lumbos constringendam.

Cuius sacrae Cincturae, seu baltei, quoniam in Ecclesia catholica percelebris est memoria, idcirco nos haec de illa pertractare constitui-mus. Praemissa igitur de more historica narratione cultus, perspicimus 1.^o in sacra Zona, seu Cinctura, qua Deipara lumbos suos praecinxit, symbolum donorum et virtutum, quibus ipsa cumulatissime ornata fuit. 2. in sacra Cinctura, quam Deipara beatae Monicae divi Augustini genitricis, aliisque sodalibus

Cincturatis donavit, symbolum patrocinii, quod promittit, et virtutum, quas requirit in iis, qui eodem cingulo praecinguntur.

Historica narratio cultus sacrae Cincturae, seu Zonae Deiparae Virginis.

Paulinus Bergomensis (in vita vitae Monicae), Maigretius (in libro, cui tit. *Arca honoris Christi et Sanctiorum PP.*), Staibanus (in sacro diario indulgentiarum etc. Cincturatum Venet. 1701. cap. 2. §. 2), Diotallevi (Trattamenti spirituali part. 1. tratten. XV), aliique scriptores, referunt, divam Monicam, Hipponensis Doctoris matrem, defuncto Patre suo coniuge, maiori acritate constituisse rebus tantummodo spiritualibus vacare. Enixe igitur Dei sanctissimam Genitricem deprecata est, ut ei dignaretur ostendere, non modo qua ratione possit eam in virtutibus internis, verum etiam in exterioribus corporis ornari, imitari. Benignissima Virgo precibus annuit supplicanti famulae, eique Tagaste se aspiciendam praebuit in illo habitu, quo indutam se fuisse adfirmavit, postquam Filius suus Iesus Christus ex hac vita migravit, scilicet in veste stragula et oblonga pulli et obserti coloris, zona ex corio praecineta. Subiunxit etiam, sibi quammaxime gratum fore, si tum ipsa, tum sauis filius Augustinus, tum pia familia ab eo instituenda, in sui memoriam memorato cingulo utebantur. Verum Augustinus statim ac catholicam fidem amplexus fuit, illico per manus divi Ambrosii Mediolanensis Antistitis sacram Cincturam accepit, eaque se praecinxit, ut paulo inferius exponemus.

Quod revera hoc habitu Deipara Virgo ornata fuerit, concili potest ex pervetustis simulacris, ac praesertim ex illo, qui in aede Lauretana colitur, quod a divo Luca efformatum fuisse traditur: in iis namque tunica est pulli et subobscuri coloris, quae tunica praecineta est zona seu cinctura pellicea, cuius extrema pars per fibulam educta, ad terram usque demissa est.

Festum sacrae Cincturae Deiparae, seu B. M. V. de Consolatione, praecipue a Fratribus eremitis divi Augustini, et a Sodalibus Cincturatis celebratur in Dominica immediate sequente solemnitate divi Augustini. Ad finem VI lectionis in Breviario pro diebus Fratibus haec verba leguntur: *Cuius divino instinctu sanctus Pontifex et doctor Ambrosius, postquam Augustinus sacro baptisate captavit, novum hominem novis vestibus induit, cucullaque nigra, et cingulo ex corio, ipse, ut fertur, praecinxit. Huius autem sacri cinguli ornamentum postea religio Augustiniana semper gestavit, in signum devotionis erga beatam Virginem Mariam, sanctum Patrem Augustinum, pianque eius matrem Monicam, ita ut Eugenio IV adprobante, fuerit instituta societas Cincturatum sanctorum Augustini et Monicae; et alia similis sub invocatione beatae Mariae Virginis de Consolatione, quas Gregorius XIII in unum corpus redegit; ac Sodalitium Cincturatum beatae Mariae Virginis voluit appellari, illudque tum Gregorius ipse,*

tum multi alii eius successores innumeris gratiis et privilegiis cumularunt. Ex dictis erant tum ambas festivitates, nempe Cincturae, et S. M. Consolationis coniunctas fuisse, ea fortasse ratione, quod Deipara per sacri sui Cinguli traditionem consolata est divam Monicam, et eundem Cincturatum sodalitium.

I.

Sacra zona seu Cinctura, qua Deipara lumbos suos perstrinxit, symbolum est donorum, quibus ipsa cumulatissime ornata fuit.

Quod revera benedicta Virgo, post Filii sui obitum, sacra zona seu Cinctura usa fuerit, eaque pellicea se ex corio, praeter ea quae superius exposita sunt, colligitur etiam ab auctoribus, qui tractant de re vestaria Hebraeorum. Nos unum Calmetum seligimus, qui (in dissertationibus, et in dictionario) observat, duobus potissimum vestium generibus Hebraeos uti consuevisse, nempe tunica, et pallio: tunica subaequali loco habebant; pallio pro extrema veste utebantur. Iidem vestibus viri aequae ac mulieres utebantur, cum hoc tantum discrimen, quod virilis tunica intra genia non demittebatur, et manicas habebat breviores, nec intra cubitum; mulieribus vero stragula et longior erat, manicaeque habebat ad oram amplissimas, inde vero ad humeros usque sensim strictiores. Adhaec tunicae mulieribus ornamentis distinguebantur; et insuper ipsae velles tangebant. In funeribus saeco seu funibus Hebraei accegebantur. Tempore viduitatis, seu in aliis adversitatibus color vestium solebat esse pallus seu obscurus.

Cum domi se continent, tum viri, tum mulieres stragulam vestem fluere sinebant; domo vero exeatibus, sive in agrum, sive ad iter proficiscentes, ne longior vestis impedimento esset, cingulo seu balteo adstrictam corcebant.

Cinguli varia erat materies et pretium, pro dignitate personarum, et diversitate circumstantiarum. Principes, nobiles, sacerdotes, pretoriosioribus zonis seu cincturis; Prophetae et tenniores quoque, tum viri, tum mulieres, pelliceis cingulis utebantur.

His praeracis fundamentis, prono alveo fluit, sanctissimam Nazarenam Virginem, Christi Parentem, cingulo lumbos suos immaculatos perstrinxisse, uti etiam haec in antecessum inuimus. Nunc, ut aliquid de hoc argumento delibare possimus, in primis adfirmamus, quod videtur, Deum ipsam huiusmodi balteo seu cinctura illam donasse

Regius Psaltes (Ps. 17 v. 33) haec habet: *Deus qui praecinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.* Versio Chaldaica sic transfert: *Deus, qui accingit me cingulo in virtute.* Licet in hoc Psalmo David loquatur de fortitudine, quam ipse a Deo habuit, indubium tamen est, sanctam Ecclesiam praefata verba in liturgia Deiparae opportunissime adhibere. Ipsa equidem beatissima Virgo verius quam Rex va-

tes, asserere potest, Deum se tanta virtute, donorumque varietate prae ceteris creaturis ornasse, ut *fundamenta eius in montibus sanctis constituta sint* (Ps. 86 v. 1): de ipsa insuper in toto verbi rigore potest affirmari, quod Deus *posuit immaculatam viam eius*.

Zona vero, seu *Cinctura*, qua Deipara a Deo donata fuit, optimo iure ei congruit.

1. Congruit ei *Zona* seu *Cinctura* regia. — Ex libro 1. Regum (cap. 17 v. 39) coniciuntur, reges cingulo seu balteo praecingi consuevisse: missa enim auctoritate lob (cap. 12 v. 13), qui inquit, quod *Deus... balteum regum dissolvit*, in dubium verti nequit, quod Saul inter alia sua vestimenta, quibus Davidem mox cum Goliath pugnaturus induit, etiam cingulo lumbos suos perstrinxit. David autem *accinctus... cepit tentare si armatus posset incedere etc.* Huiusmodi cingulum pretiosum nimis proculdubio esse debebat, et forsans gemmis etiam ornatum. Hinc cum Vates regius Dominum regnantem exhibet, praecinctum etiam illum adfirmat (Ps. 92. v. 1): *Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se*. Hinc *Filius hominis*, qui est etiam *Rex regum* (Apoc. cap. 19 v. 16) visus fuit a Ioanne (cap. 1. v. 16) *praecinctus zona aurea*.

Si regibus igitur *zona* seu *Cinctura* congruit, illam Deiparae profecto denegare non possumus, utpote reginae. Ipsa regali exorta est progenie; unde operante Evangelista Matthaeus Christi genealogiam texens, illum filium Abraham, qui si non fuit rex verbo et nomine, dubitari nequit quod talis fuerit re, uti docet a Lapide (in cap. 1. Matth.); et filium David, aliorumque, qui reges et nomine et re fuerunt, induci. — Adhaec benedicta Virgo Mater vera est illius quem Magi non alio titulo inquisierunt, nisi regis (Matth. cap. 2 v. 2): *Ubi est qui natus est Rex?...* illius Mater est, quem turba non alio titulo conclamavit, nisi regis (Io. cap. 12 v. 13): *Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel...* illius denique Genitrix extitit, quem Pilatus ipse regem denunciavit (Io. cap. 19 v. 15): *Regem vestrum crucifigam?* (Io. cap. 19 v. 19): *Posuit causam illius scripam: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*. — Denique Deipara non solum est Regina iure haereditario, utpote exorta ex progenie David, nec solum quia Mater Christi regis, sed etiam, uti docet clarissimus Bernardinus de Bostis 1. iure belli: ipsa enim arma ministravit, nempe humanam carnem et sanguinem, et, qui a divo Paulo (ad Colos. cap. 2. v. 15) exhibetur *expoliatus principatus et potestates*: 2. iure emptionis: nam si Christus emit nos pretio sanguinis, pretium illud ipsi a Matre ministratum fuit. 3. tandem iure electionis: nam si Christus assumpsit illud regii Psallis (Ps. 2. v. 6): *Ego autem constitutus sum rex ab eo etc.*, Deipara etiam potest usurpare: *Ego autem constituta sum regina ab eo*, nempe a Deo, qui talem me elegit et praelegit *super Sion montem sanctum eius*. Iure merito igitur sancta Ecclesia reginam salutem inclytam Deiparentem; adeoque ei regalis Cinctura debetur.

2. Congruit Deiparae *Zona*, seu *Cinctura* Pontificalis et Sacerdotalis. — In veteri pacto sacer-

doles pretiosa zona seu cingulo donabantur. Equidem Moysi sic mandavit Deus relate ad vestes sacerdotum (Exod. cap. 28 v. 4): *Haec autem erunt vestimenta: Rationale et superhumale, et tunicam strictam lineam, cidarium et balteum*. Huiusmodi balteum seu cingulum ex cocco, et purpura, hyacintho, et bysso variegatum opere phrygio, contextum erat ex variis coloribus, uti testatur Ioseph Hebraeus (lib. 3. Antiq. cap. 8). Praedictae vestes erant communes omnibus sacerdotibus. Summus sacerdos vero duplicem habebat *zonam* seu *cincturam*; internam unam ad cingendam tunicam interiore vulgari sacerdotum prorsus similem; alteram pretiosorem auro intextam, qua tunica hyacinthina adstringebatur, ipsi Ephod, cuius erat pars, coniuncta.

At Deiparae Virgini iure merito aptandam censemus *Zonam*, seu *Cincturam*, tum vulgarem sacerdotum omnium, tum peculiarem summi Pontificis: ipsa equidem ad Epiphania nuncupati (serm. de laud. Deip. dub.): *Sacerdos pariter et Altare*. Eadem de genere, non modo regum, sed etiam sacerdotum, omnes veteris legis sive sacerdotes, sive Pontifices longe superavit; imo quodammodo dici potest, quod ipsa, omnium prima, constituta fuit ad officium, ad quod destinantur sacerdotes, et ipse supremus Pontifex. Si enim sacerdotes destinantur ad offerendum hostiam sanctam et immaculatam, nempe Christum Iesum, nomine beatissima Virgo hanc hostiam prima omnium aeterno Patri obtulit. Si vero summus Pontifex ad Ecclesiae regimen constituitur, nomine Virgo benedicta, non solum Ecclesiam post Christi ascensionem, sed ipsum Petrum Christi Vicarium, sua sapientia et consilio rexit?

3. Congruit Deiparae *Zona*, seu *Cingulum* militare. — Antequam quisdam pugnantium egrediatur, arma sumat oportet. Quaecumque autem sit vestis militaris, cingulo constringi solent lumbi, ex quo gladius pendeat. Ad rem Iacob moriens sic Gad filium suum benedixit: (Genes. cap. 49. v. 19): *Gad accinctus praebibitur*. — In libro 4. Regum (cap. 3. v. 21) haec habemus: *Universi Moabitae audientes, quod ascendissent reges, et pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes, qui accincti erant balteo desuper*. Hinc etiam regius Psalles ad Deum conversus sic loquitur (Ps. 44. v. 4): *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; scilicet ut exponit Tirinus, innixus auctoritati sanctorum Basilii et Cyrilli: Accingere, et para te ad daemones profigandos, et impios homines tuae fidei et servitio subiugandos*. Denique ipse David alibi sic loquitur (Ps. 17. v. 13): *Praecinxisti me virtute ad bellum*.

Virgo Deipara proculdubio est *mulier illa fortis, quas accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum* (Proc. cap. 31): adeo fortis, subiungit divus Clarevallensis Abbas (ser. 9 inter parcos), ut illius serpentes caput contereret, cui a Domino dictum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem; semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum*. Ipsa est illa invicta Debhora, de qua legitur in libro Iudicum (cap. 4 v. 9), quod Deus dedit victoriam in manu mulieris. Si ita igitur res se habet,

quis Deiparae cingulum seu balteum militare denegabit?

4. Congruit Deiparae cingulum iustitiae. — In Isaia legitur (cap. 11. v. 5): *Et erit iustitia cingulum lumborum eius*. Haec propheta Christum proculdubio respicit; et doctissimus a Lapide opportune inquit (sup. hunc loc.): *Dicitur cingulum, quia sicut Christi humanitas tota cingebatur a divinitate, ita et a iustitia*.

Etsi iustitia proprium et peculiare sit nomen unius de quatuor virtutibus cardinalibus; simul tamen hoc nomine complexus virtutum denotatur. Sub hoc respectu Evangelista Matthaeus (cap. 3. v. 15) inquit: *Sic docet, nos implere omnem iustitiam: alibi (cap. 5. v. 6): Beati qui esuriant, et sitiunt iustitiam; et denique (cap. 5. v. 20): Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum*.

Post Christum benedictum, de sua Sanctissima Matre proculdubio affirmari potest, quod *iustitia cingulum lumborum eius fuit*. Ipsa implevit omnem iustitiam, uti docuit Dei Genitricem: ipsa incessanter esurivit et sitiit iustitiam, adeo ut progressa semper fuerit de virtute in virtute: ipsius iustitia abundavit, non solum plus quam scribarum et pharisaeorum, sed etiam plusquam omnium angelorum et sanctorum.

Post divum Augustinum (lib. de corrupt. et grat. cap. 1. circ. med.), Angelicus doctor divus Thomas (2. 2. quaest. 79. art. 1) docet, ad *iustitiam legis pertinere declinare a malo, et facere bonum*. Has autem partes integrales iustitiae beatissima Virgo excellenter exercit 1. declinando a malo. Divus Ambrosius (lib. de Virginit. de B.M.V. loquens, inquit: *Nulum sollicita fuit laedere... Quando illa vultu laetit parentes? quando unquam discessit a propinquis? quando fastidiit humilem? quando vitavit inopem? Concinuit divus Hieronymus (in sermone), qui haec de ipsamet Deipara praeconia scribit: *Nec irascentem illam ullus vidit; hanc maledicentem nemo audivit etc.* — Quod autem spectat alteram partem, nempe iustitiam consistentem in faciendo bonum, nos adfirmare possumus, quod omnia et singula opera sanctissimae Dei Genitricis, non modo bona, sed et perfecta in gradu summo creaturis possibili fuerunt. Equidem quaenam illi virtutes defuerunt? Heroica obedientia iussionibus Caesaris Augusti, descriptionem et tributum praecipientis; sollicita charitas in longo itinere suscipiendo ad visitandum Elisabeth, eiusque domum coelestibus muneribus implendam; legum exacta observantia, licet ab aliquibus iure merito posset eximi, uti contigit in lege purificationem mulierum puerperarum praecipiente; pietas exemplaris erga Deum, potissimum in Hierosolymitano templo inveniendo; humilitas profundissima; studium paupertatis eximiae; totalis resignatio divinae voluntati, praecipue in adversis. Quid plura? De ipsa igitur proculdubio illud Isaia usurpare possumus (cap. 11. v. 5): *Et erit iustitia cingulum lumborum eius*.*

5. *Zona* seu cingulum fidei etiam beatissimae Virgini congruit. Isaia (loco nuper citat.), postquam iustitiam cingulo comparat, subiungit: *Et fides cinctorium renum eius*. Re quidem vera fides est fundamentum spiritualis aedificii

(div. Thom. 1. 2. q. 89. 2. ad 2): est etiam radix aliarum virtutum. Dicitur autem fides *cinctorium renum*, quia omnia opera sine fide incertiorum renum, quia omnia opera sine fide incertiora esse non possunt; nam sine fide impossibile est placere Deo (ad Hebr. cap. 11. v. 6).

In beatissima Virgine, eminenter supra caeteros, virtus fidei proculdubio extitit. Diva Elisabeth Spiritu sancto afflata, de eius fide testimonium edidit illis verbis (Luc. cap. 1. vers. 45): *Beata quae credidisti: Ipsa in fide nunquam haesitavit, ne quidem in nocte passionis Filii sui; unde bene ei congruunt verba Proverbiorum (c. 31. v. 18): Non extinguetur in nocte lucerna eius. Bene igitur beatus Albertus Ratisponensis antistes inquit (l. de B.M.V. 96): *Beata Virgo simul cum habitu fidei habuit actum, quo perfectio quam Adam in opere, et quam Ioannes supra pectus Domini, et quam Paulus in raptu, cognovit mysteria supernaturalia. Fides ergo iure optimo dicitur cinctorium renum eius*.*

6. Adest etiam cingulum castitatis, quod beatissimae Virgini merito congruit. — Antiquitus zona virginitatis erit insigne, quam proinde coniungatae solvebant (vid. a Lapide. sup. cap. 31). Proverbior. vers. 17. In Evagelio divi Lucae (cap. 12. vers. 35) legitur haec Domini verba: *Sint lumbi vestri praecincti*. Mystice lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam (cuius, uti et seminis, origo est in lumbis) per continentiam coartamus, uti docent S. Gregorius (homil. 13.), S. Basilius, Beda et alii. Beatissima Virgo lumbos habuit praecinctos, non quatenus opus haberet coartare et refracere carnis luxuriam: nam ipsa, ex speciali Dei gratia, fuit *ab omni poterat usurpare illud Pauli (Rom. cap. 7. v. 23): Video aliam legem in membris, meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in verbo peccati*: fomes enim peccati, qui, cum a peccato sit et ad peccandum inducat, ad castitatem violandam allicit, a principio suae sanctificationis in ea vel sublatum totaliter, secundum opinionem plurimorum, vel saltem ligatus fuit, uti Angelicus divus Thomas docet (3. p. q. 27. art. 3). Quamvis igitur, uti antea innuimus, beatissima Virgo opus non habuit coartare carnis luxuriam; tamen cingulum castitatis opportune ei congruit, quo vel sublatum vel ligatum fuisse fomitem concupiscentiae a primo suae sanctificationis momento, declaratur. Immo non solum castitatis, sed et virginitatis integerrimae *zona* ei debetur; quam ipsa tam caute custodivit, ut parata fuerit divinae maternitati potius vale dicere, quam illius *cinguli* pati detrimentum. Deum autem, ut sanctissima Virgo memoratum balteum custodiret, inaudito miraculo effecit, ut ipsa, quemadmodum ante partum, ita et in ipso partu, et post partum sua lilia intacta servaret.

7. Congruit etiam beatissimae Virgini *Zona* seu cingulum poenitentiae. — De Elia Thesbite legitur (4. Reg. cap. 1. v. 8), quod erat *vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus*. Similiter Ioannes Baptista, uti legitur in Evangelio Matthaei (cap. 3. v. 4): *Habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos*. Hanc autem *zonam* Ioannes habebat

bat, inquit a Lapide (sup. hunc loc.), ut illa magis eodem ciliacum corpori apprimeret, atque magis carnem punderet et mortificaret, ac spiritus subiectam punderet. Ille igitur qui baptismum poenitentiae praedicare venerat, in tota sua vita, in veste, et in ipsa zona, eandem poenitentiam confirmavit.

De huiusmodi poenitentiae cingulo profecto loquebatur Zacharias propheta, cum haec memoranda verba dicebat (cap. 6. v. 26): *Filia populi mei, accingere ciliacum, et conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi.* Equidem in luctu et in adversitatibus mos erat Hebraeis accingi ciliacum, vel sacco, seu cinctura coriacea. Praedicta autem Zachariae verba Deiparae optime quadrant, quae luctum unigeniti fecit sibi in morte dilectissimi Filii sui, qui eius unigenitus fuit.

Verum fortasse quis dicet: Poteratne benedicta et immaeulata Virgo Maria cingulo poenitentiae praecingi? Ut huic obiectioni satisfactionem, praemittenda est distinctio inter poenitentiam uti sacramentum, et poenitentiam uti virtutem. Divus Albertus (sup. Missus cap. 69. cap. 73. cum seq.) docet, beatissimam Virginem suscepisse Sacramentum poenitentiae, licet peccatum in se non admisit. Ratio autem ab ipso adducta ad thesim probandam, quaeque confirmatur etiam a Gregorio (in cap. ad eius d. 5), haec est: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Recognoscebat ergo Deipara, se fuisse debitrice peccati originalis contrahendi, et a Filio suo redemptam; cui peccato fuisse obnoxia, nisi divina gratia praevenerit fuisset praeservata. Sacramentum igitur poenitentiae recepit in excellenti acquipollentia: nam pro contritione habuit innocentiae conservationem; pro confessione gratiarum actionem; pro satisfactione vero supererogationem (vide etiam Bussi Mariale Virg. p. 4. serm. 11. p. 1. ad 3). Verum, salva semper reverentia auctoritati tanti doctoris, quam sequuntur etiam alii, nos huic opinioni non subscribimus: contraria enim sententia nobis magis aridet. Re quidem vera, quomodo potuisset Deipara sacramentum poenitentiae recipere, cum in illa omnino deerat materia, nempe actuale peccatum; cumque forma sine mendacio super eam pronunciarum non potuisset, nempe: *Ego te absotco a peccatis?**

Si vero loquimur de poenitentia, uti virtute, prae oculis habenda est doctrina Angelici doctoris, qui (1. p. quaest. 95. art. 3), loquens de virtutibus Adae in statu innocentiae, inquit: *Si imperfecto, quae est de ratione alicuius virtutis, repugnat perfectioni primi status, poterat huiusmodi virtus ibi esse secundum actum; ut patet de misericordia... Unde huiusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum, non secundum actum. Quemadmodum igitur poenitentia, iuxta allegatam doctrinam, erat in Adam innocente secundum habitum, poterat esse etiam in beatissima Virgine. — Insuper Glossa super illud Matthaei (cap. 3): Poenitentiam agite, inquit: Poenitentia est prima virtus. Sed beatissima Virgo habuit omnes virtutes. Ergo et poenitentiam. Tandem pro omnibus sufficiat doctrina theologi*

Suarez, qui sic scribit (in 3. part. d. Thom. disp. 3. sect. 2): *De quibusdam virtutibus, quae dicuntur imperfectum contrarium, vel virtuti heroicam et perfectam, ut est continentia, vel perfectam innocentiam, ut est poenitentia, dubitari potest, an fuerint in b. Virgine. Sed huius dubitatio resolutio ex his, quae de Christo dicimus, petenda est. Continentia enim significat virtutem in statu imperfecto; et sub hac significatione non fuit in Virgine, quamquam propterea nulla virtute caruerit, quia continentia non significat virtutem re et essentia a ceteris distinctam, sed poenitentia vero dubium non est, quin beata Virgo habuerit virtutem illam, quae in nobis poenitentia vocatur, sive sit eadem quae religio et charitas, sive distincta a reliquis. De nomine autem erit quaestio, an sub hoc nomine illi tribuenda sit. Nam quia poenitentia in rigore significat retractionem vel detestationem alicuius actionis propriae; ideo videri potest, negandum esse, Virginem habuisse poenitentiam, quia certissimum est, nunquam habuisse talem actum, neque egisse aliquid retractione dignum. Quia vero poenitentia virtus, non actum, sed habitum significat, ideo fere omnes simpliciter docent, fuisse Virginem capaceam huius virtutis, quia de se capace erat peccati, quamvis gratia praevenerat fuerit, ne illud committeret.*

Quidquid autem sit de memoratis opinionibus, quas eruditionis gratia exponendas existimavi, ad nostrum propositum veniens, dico, quod poenitere idem est ac poenam tenere. Poena profecto supponit delictum. Ad poenitentiam potest perfici ab aliquo vice pro delictis propriis, sive pro alienis. Sic Iesus Christus poenitentiam egit, non certe pro propriis, sed pro delictis totius mundi. Et licet nemo sanctorum mundus fuerit a sorde, tamen sancti non omnem poenitentiam egerunt ad ablucendas proprias sordes; sed impleta satisfactione pro propriis iniquitatibus, quidquid superflui meriti in memoratis poenitentis, refusum est in Ecclesiae thesaurum, qui constat ex omnibus meritis Christi, et ex superabundantibus meritorum etiam aliorum sanctorum. Benedicti igitur Dei Patres, et ex superabundantibus meritorum etiam aliorum sanctorum. Benedicti igitur Dei Patres, quamvis satisfactioe opus non haberet, cum peccati expertus prorsus esset, nullumque motum inordinatum in sua carne sensisset, nihilominus 1 ut Christi passionibus magis magisque communicaret; 2 ut Dei gloriam tota animi contentione procuraret; 3 ut digna Mater esset illius, qui voluntarie totam vitam suam in ieiuniis, aliisque tum corporis, tum animi afflictionibus transegit, voluit et ipsa purissimum carnem suam poenitentibus operibus affligere, et cor suum multiplici gladio transverberari. Igitur cum dicimus, Deiparam cingulo poenitentiae praecinctam fuisse, sub nomine poenitentiae non intelligimus poenam pro propriis delictis, sed vel poenam, quam suscipiunt beatissima Virgo, ut posset esse humani generis coredentrix; vel illas mortificationes et afflictiones, quae latiori sensu poenitentia dicuntur.

8. Denique Deipara iure merito praecincta est cingulo ministratorum. — In more positum erat apud Hebraeos, quod cum ipsi ministraturi erant, praecingebant se. Haec de causa Christi

stus quam ministrare voluit Apostolis in extrema coena (Io. c. 13. v. 4), cum accepisset linteam, praecincti se. — Sanctissima Dei Parens illud Ecclesiastici iure merito usurpare potest (cap. 24. v. 14): *In habitatione sancta coram ipso ministravit.* Ministravit enim Deo a tempore in quo vix trimalae erat, cum in templo praesentata, in operibus manualibus inservivit; ministravit Deo in annunciatione, cum se ancillam Domini professi fuit; ministravit Christo in antro Bethlemico, cum panis eum involavit; ministravit, cum Christum in Aegyptum asportavit; brevi semper ministravit; et de illa dici potest: *Satagebat circa frequens ministerium (Luc. c. 10. v. 40).* Adhaec ministravit etiam hominibus: in domo Elisabeth profecto ministravit, et probabiliter Apostolis ipsis ministravit, utque ministris Filii sui benedicti. Ego autem existimo, quod etiam nunc in coelo quodammodo ministrat, ita ut illa Ecclesiastici verba ipsi accommodari possint (c. 39. v. 4): *In medio magnatorum ministravit; non quatenus inserviat; ly enim ministrabit non tantum significat servit, sed etiam virtutis munia obicit.* Verum nomina magna sunt illa reginae, advocatae etc., quae a Deipara in coelo obtinentur? Nemo igitur ministratorum cingulum beatissimae Virgini denegabit.

II.

Indubium est, per mulierem fortem, de qua in Proverbiorum libro sermo instituitur (c. 31), Deiparam tropologicè intelligi, ut docet divus Bernardus (serm. 9. inter parv. et fuscus ser. 2. sup. Missus est). Verum de hac muliere legitur (cod. c. v. 24), quod sindonem fecit, et vendidit, et cingulum tradidit Chananaeo. Memorata verba ita interpretari possunt convenienter ac mercator: nam Chananaei, eo quod esset mari proximi, mercaturae et negotiationi maxime operam dabant (vid. Calmet Dictionar. s. Script. ad voc. Chananaeus, et Corn. a Lapid. sup. cap. 31. Proverb. v. 24). Per Chananaeos igitur Christiani intelligi possunt, quibus coelestis Patrefamilias inquit (Luc. c. 19. v. 13): *Negotiamini dum venio.* Maximum profecto negotium Christiani prae manibus habent, ipsique curae esse debet, ut non thesaurizent thesauros in terra, ubi aerugo et lima demolitur, et fures effodiunt et furantur, sed... thesauros in coelo.

Huiusmodi Chananaeis seu negotiatoribus beatissima Virgo cingulum tradit.

1. In signum dilectionis. — De Ionathas Saulis filio sic legitimus (1. Reg. cap. 18. v. 4): *Expoliavit se Ionathas tunica qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et (nota verbum) usque ad balteum.* Hoc autem Ionathas fecit in signum singularis dilectionis, quia anima eius conglutinata erat animae Davidis. Pari modo Deipara, ut tenerimae et maternae suae dilectionis pignus nobis largiatur, suum

balteum seu cingulum dat nobis, quo ipsa, dum in terra agebat, se praecingi consuevit.

2. Beatissima Virgo dat suum Cincturam in signum foederis, quod nobiscum init. — Olim sponsi quando foedus nuptiale inibat cum puellis quae desponsabant, cingulum eis, vel zonam byssinam donare solebant (vid. a Lapid. sup. epist. div. Epiph. cap. 6. v. 14); illud autem balteum sponsae gerebant, quemadmodum nunc annulum, veluti rememorativum eiusdem initi nuptialis foederis, adeo ut, quae illo praecincta erat, ostendere videretur, se ad fidem viro servandam, quoad viveret, obligari. Idcirco Deus populo Israel, quoniam foedus pepigit, cuique dixit (Osee cap. 2. v. 19): *Sponsabo te mihi in sempiternum, et misericordia, et iustitiam, et sponsabo te mihi in fide; huc, inquam, populo, cum iam ad idola devotisset, inter alia, improprie ut dicebatur, cingulo, te mihi adstrinxit, ut adhaerens paci sempiterni, quod tecum stabili; in vero confregisti iugum meum, rupisti vincula mea (1er. cap. 2. v. 20), et polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis (Jerem. cap. 3. vers. 2).*

Si igitur cingulum signum est foederis, propterea beatissima Virgo nobis illud largita est, ut foedus nobiscum iniret: et quemadmodum Deus Israeli olim dixit per Ieremiam (cap. 3. v. 4): *Amodo voca me, Pater meus; sic Deipara, eo ipso, quod sacrum cincturam tradidit, videtur dicere illi qui eam accipit: Ex nunc foedere sempiterno sociamur et iungimur: amodo voca me, Mater mea: Ego ero tibi in matrem, patronam, et auxiliatricem; et tu vicissim eris mihi in filium. — Memoranda sunt verba, quae Dominus populo suo direxit per Ieremiam (cap. 13. v. 11), quaeque repeti possunt a Deipara, dum suam cincturam tradit: *Sicut adhaeret lumbare (seu cingulum) ad lumbos viri; sic agglutinavi (id est fere desponsavi) mihi omnem domum Israel (seu congregationem Cincturatarum), ut esset mihi in populum, et in laudem, et in gloriam.**

3. Cingulum quod Deipara tradit, symbolum est continentiae. Divus Gregorius, cum exponit illa Christi verba (ap. Luc. cap. 12. v. 25): *Sint lumbi vestri praecincti*, sic inquit (hom. 13): *Lumbos praecingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coercetamus.* Sic etiam memoratum textum exponit divus Augustinus (serm. 39. de verb. Dom.), sanctus Basilius (in Isai. cap. 15), venerabilis Beda, alique passim. Audiat Chrysologus (serm. 24): *Lumbos nostros adstringi iubet Christus balteo castitatis, et totum carnis nostrae pendulum, fluidum, resolutum, constringit mandati continua zona virtutis, ut carne succincta, ad Domini occursum, liber, veloc, expeditus nostrae mentis reddatur incensus. Re quidem vera. Si, ut superius innuimus, erigo luxuriae et seminis in lumbis est; merito per cingulum continentiae significatur. Quapropter, observat divus Hieronymus (vid. ap. a Lapid. in Epist. ad Eph. cap. 6), quod cum concupiscentia comiletur ordinario generatio-*

nem, lumbi in generatione pro semine accipiuntur, secundum illud: *De fructu lumbi tui ponam super sedem tuam.* — *Adhuc in lumbis erat Levi patris sui Abraham etc.*, unde qui non servit libidini, dicitur accinxisse lumbos. Haec de causa sicut in veteri, sic etiam in novo testamento ministri sacri Altaribus operaturi praecingunt se; et interim hanc orationem proferunt: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me vigor continentiae et castitatis.* — Notatu dignum est illud quod legimus de angelico doctore divo Thoma (in *lectionib. Breviar. die 7. Martii*), qui cum in sua inventute mulierem, quae ad labefactandam eius constantiam ad eum introducta fuerat, litione fugasset, mox illo flexis genibus ante Crucis signum orante, ibique somno correpto, *per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos: quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit.*

Sed illud quod angelorum ministerio Angelicus Doctor expertus fuit, nos mediante Deipara consequimur, quae tamen cum lumbos nostros sua sacra zona praecingit, non sequitur inde, quod postea nos omni libidinis sensu careamus (quod singulare beneficium aliquibus tantum concessum legimus); sed quod, licet non auferatur a nobis stimulus carnis, et angelus satanae, qui nos colaphizat, tamen illam divinam gratiam, Deipara mediante, consequimur, qua nostra virtus in infirmitate perficitur; quaque per nostram cooperationem, castitatem in proprio statu, Deo adiuvante, servare possimus.

4. Est etiam sacra Cinctura benedictae Virginis symbolum poenitentiae, quam agere lenemur. Iam superius aliquid inuimus de Elia Thesbite, de quo (4. *Reg. cap. 1. v. 8*) legitur, quod erat *vir pilosus, et zona pellicea accinctus*. Incedebat enim hic Propheta Dei intonsus, prolixa barba et capillis, hispido vestitu et piloso, puta melote, sive pelle ovina vel caprina intonsa circumdatus, et zona pellicea accinctus, idest corio non apparato, sed adhuc villosa, quasi oremita mundi contemptor et poenitentiae sectator. Videri possunt quae de eodem dicta sunt a Cassiano (lib. 1. *Institut. cap. 1*). Diximus etiam superius de Ioanne Baptista, de quo apud Matthaeum legimus (c. 3. v. 4), quod *habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos*. Sanctus Chrysostomus, et alii passim Patres et Interpretes, ac nominatim divus Anselmus, et Eusebius Emisenus (hom. 1. *de Ioan. Bapt.*) inquit, vestem Praeursoris fuisse cilicium camelinum, quam vestem corpori per zonam pelliceam apprimebat constringebatque. Sic, inquit a Lapide (sup. cap. 3. *Matth. v. 4*), *ipse domabat carnem in iuventute, sanguine et calore bullientem, ne in luxuriam deflueret*. Scimus etiam, in veteri pacto, ad poenitentiam Hebraeos sacco, et aliquando etiam cilicio, praecingi consuevisse. De sacco iam diximus. De cilicio lumbari legimus in libro 2. Machabaeorum (cap. 10. v. 23): *Machabaeus et qui cum eo erant deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque cilicis praecincti*; et in libro Iudith (cap. 4. v. 16):

Hi qui offerebant Domino holocausta, praecincti cilicis offerebant sacrificia Domino, et cinis super capita eorum. Praesentibus temporibus quicumque poenitentem vitam profitentur, aliquam zonam, seu cingulam deferunt circa lumbos suos. Praesertim in claustris, aliqui coriaceo balteo; alii lanea cinctura; alii demum funiculo cingulo praecinguntur.

Sacra cinctura beatissimae Virginis, circa quam haec occupamur, profecto symbolum est poenitentiae: ideo ipsa est ex corio animalium mortuorum, ut qui ea praecingitur, mortis incessanter recordetur, et poenitentiam agat: ideo cum tribuitur, haec oratio ad Deum pronuntiatur: *Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuae misericordiam quaerentibus veniam et misericordiam tribuis, oramus clementiam tuam, ut hanc Corrigiam benedicere et sanctificare digneris, ut omnis persona, quae pro peccatis suis illa praecincta fuerit, atque eam portaverit etc.*, et idcirco demum vulgo cingulum beatissimae Virginis *Cinctura poenitentium* nuncupatur.

Verum hoc spectabile est, quod Deipara Virgo per suam sanctam Cincturam poenitentiam Cincturatorum mirifice adiuvat suo patrocinio, ut accepta sit coram Deo; et dicit thesaurum innumerarum indulgentiarum, quae a summis Pontificibus concessae sunt. Per huiusmodi indulgentias, tam largas, ut fere nullus alius Ordo, quoad sciamus, illis gloriari possit, merita Domini nostri Iesu Christi, Deiparae Virginis, aliorumque sanctorum, ac praesertim divorum Augustini et Monicae, Cincturatis applicantur, eorumque poenitentia mirifice adiuvatur.

5. Benedicta Virgo dat nobis Cingulum fortitudinis et militiae spiritualis. — Milites et athletae omni tempore suos lumbos praecinxerunt, ut accincti fortiores evaderent, et maiori virtute pugnarent. Enimvero, quod cum lumbi toti sint carni et infirmi, cingulo stringuntur, ut homo fiat firmus et robustus. Exploratum est aulem, tum viros, tum mulieres requirit, nisi sint praecincti. Divus Chrysostomus (vid. ap. a Lap. in ep. ad Eph. c. 6. v. 13) observat, quod lumbi superiorum et inferiorum corporis partium sunt fundamentum et iunctura. Hinc est, quod laborantes et lassae plerumque manus illae, quasi in fundamentum quoddam immittunt, ut hoc pacto se confortent: idcirco etiam qui prostrati sunt viribus, dicantur *delumbati*, seu lateribus disrupti. Milites igitur opportune balteo lumbos praecingunt, ut fortiores evadant. Hinc divus Paulus (in epist. ad Ephesios cap. 6. v. 14) inquit: *Stare ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loriceam iustitiae*; et David (Ps. 117. v.) ait: *Praecinxisti me virtute ad bellum.*

Huiusmodi cingulo virtutis roborat Sanctissima Dei Genitrix suos filios, ut parati sint ad bellum contra hostes nostrae salutis visibiles et invisibiles. Ego autem existimo quod diabolus perhorrescit et conturbatur ad aspectum sacrae cincturae; ulpote quae vestis est illius, quacum inimicitias aeternas habuit; et quae immaculato suo pede caput summum ab ini-

